

Q. D. B. V.

DISSERTATIO THEOLOGICA

De

CURA ANIMÆ,

Ex

*Matth. XVI, 26.*

Quam

*Venerandæ Facultatis Theologicæ*

Consensu,

in

Auditorio Theologico,

*Ad diem 1. Julii A. MDCCIV.*

PRÆSIDE

DN. ADAMO RECHENBERG,

S. Theolog. D. & P. P.

*Patrono ac Præceptore suo æternum honorando,*

Θεολογῶντων disquisitioni

submittit

AUTOR,

M. GOTTLIEB ISRAEL MUSCULUS, Offitiò Mistr.  
Vocatus Pastor Scaffensis.

LIPSIÆ,

Excudebat JOH. HEINR. RICHTERUS.

Coll. diss. A  
211, 40

*Coll. Diss. Nr. 211(40)*



VIRO  
ILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO,  
DOMINO,  
DN. CHRISTOPH. HENR.  
de SCHLEINIZ,

Serenissimo Poloniarum Regi & Electori  
Saxoniae ab Intimis & Steuræ  
Consiliis,

*Suprema Curia Provincialis, quæ Lipsiæ est,*  
Vice-Præsidi,

Toparchæ

In Grödel, Sckassa, Nauendorff & Müglenz,

*Domino ac Patrono suo Gratioso,*

Dissertationem hanc Theologicam, ea, qua par  
est, submissione offert & dedicat

M. G. I. MUSCULUS.







# I. N. F.

## §. I.



Tsi homo natura sit maxime Φίλαυτος, ac quæ ad conservationem & existimationem sui facere videntur, adpetat, eaque comparare sibi nitatur; in amore tamen isthoc sui, plurimos aberrare videmus: quia multi aut non satis intelligunt, quæ sibi, cum quoad corpus, tum quoad animam, in vario hujus vitæ statu vere expediunt, aut nocere possint; aut quia pluri- mi vera bona à fallacibus & adparenter talibus discernere ignorant. Quapropter in electione veri boni, maxime vero summi, cura & prudentia opus est.

§. 2. Sed cum homo duabus constet partibus, *anima* scilicet & *corpore*; major mortalium pars hujus magis in hac vita, quam illius partis cura afficitur, *Matth. VI, 25.* pravis quippe affectibus, & inde erroribus subortis occupati, non expendimus, animam nostram esse nobiliorem partem, ac adeo ejus præcipue rationem semper habendam esse; cum post dissolutionem à corpore superstes sit ac immortalis, quam inde vel præmia vel pœnæ æternæ manere soleant, *Matth. X, 28.*

§. 3. Hac de causa animum induxi, ex Christi doctrina *Matth. XVI, 26.* præcipue Deo auxiliante, de *CURA ANIMÆ* Christiano maxime necessaria pie quædam meditari. Quod, ut feliciter eveniat, Patrem Cœlestem in Christi nomine  
 A devo-



devote precor & veneror; quò hæc mea meditatio seu dif-  
fertatio in Ejusdem nominis gloriam, & animarum nostra-  
rum salutem cedat!

§. 4. Verba Christi, quæ scopum nostrum præcipue  
attinent, *Matth. XVI, 26.* ita habent: *Τί γὰρ ὠφελεῖται ἄνθρωπος,*  
*εἰὰν τὸν κόσμον ὅλον κερδήσῃ, τὴν δὲ ψυχὴν αὐτῆς ζημιωθῆ; ἢ τί δώσει*  
*ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτῆς; Vulgata versio reddit:*  
*Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur,*  
*animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo*  
*commutationem pro anima sua?*

*Theodorus Beza* hanc versionem, nova sua interpreta-  
tione, quodammodo correxit: *Quid enim prodest cuiquam, si*  
*totum mundum lucratus fuerit, animâ vero suâ mulctetur? Aut*  
*quam dabit quisquam compensationem animæ suæ? Lutherus*  
*noster, more suo, sensum Græcorum verborum satis apte &*  
*perspicue expressit: Was hilffs dem Menschen/ so er die*  
*ganze Welt gewönne/ und nähme doch Schaden an sei-*  
*ner Seele? Oder/ was kan der Mensch geben/ damit er*  
*seine Seele wieder löse?*

§. 5. Quod grammaticam textus hujus criticam atti-  
net, observamus; nonnullos particulam γὰρ hic non causa-  
lem, sed communicativam esse, adserere; ut verti debeat:  
*Quid quæso juvabitur homo? Quæ opinio, cum sensui nihil*  
*inde decedat, tolerari potest. Quamquam alii cum B. Lu-*  
*thero eandem pro causali forte rectius habeant. Pro ὠφε-*  
*λεῖται, Curcellæus etiam ὠφελήσεται legi observat, quæ lectio*  
*sensum non mutat. Κόσμος, ac ψυχὴ sibi invicem op-*  
*ponuntur: & uti isthac voce res omnes externæ & sensibus*  
*obviæ in hoc mundo spectabili denotantur, quorum deside-*  
*rio homo lapsus maxime tenetur & delectatur; ita hoc vo-*  
*cabulo, pars illa spiritualis hominis nobilior indicatur, quæ*  
*ad divini præcipue Numinis agnitionem ac amorem à Deo*  
*producta fuit, & in sacris literis sæpissime τὸ πνεῦμα, Spiri-*  
*tus,*



*ius*, appellatur. Etsi aliàs, ubi in Paulinis epistolis de rege-  
 nitis sermo est, non tam animam, quam vim spiritualementem ei-  
 dem in conversione & regeneratione à Spiritu S. inditam  
 significet. Vocabula κερδαίνειν ac ζημιῶν, in civili aliàs vita  
 apud autores Græcos in usu sunt, quorum illud lucrari, seu  
 mercatorū more commodum indipisci; hoc vero damnum  
 seu jacturam alicujus boni facere denotat; quasi dicas, τὸ ζῆν  
 μειῶν, minuens illud, unde quis vivit. Beza per mulctare in  
 versione superius adducta id transtulit. Et licet Piscator pu-  
 tet, τὸ ζημιῶν in hac significatione positū tertio casui jungi de-  
 bere; Hammondus tamen in *Notis ad h. l.* demonstravit, non  
 esse infrequentem apud Græcos hunc loquendi modum,  
 ubi quarto casui additum, per mulctare reddi debeat. Sed  
 sensui nihil decedit, sive dicas, ante vocem ψυχὴν omissam  
 esse particulam κτ̄, & ita exponi debere: κτ̄ δὲ τὴν ψυχὴν ζημιώ-  
 σῃ, quoad animam vero damnum patiatur; sive veritas cum  
 Beza: Animā vero mulctetur. Utroque enim modo da-  
 mnum vel jactura animæ indigitatur. Similis plane oppo-  
 sitio horum verborum legitur ad *Philip. III, 8.* ubi Paulus  
 dicit: Τὰ πάντα ἐζημιώσθην, ἵνα χεῖρόν κερδήσω, omnium rerum  
 jacturam feci, ut Christum lucrifaciam. Ἀντάλλαγμα, quod  
 commutationem *Vulgatus*, Beza compensationem interpreta-  
 tur, proprie significat id, quo dato redimitur aliquid, respec-  
 tu ad priscorum commercia habito, qui vel nunquam vel  
 rarius moneta utebantur, cum merces invicem commuta-  
 rent. Forte Christus emphatica hac quæstione, (*quam da-  
 bit quispiam compensationem animæ suæ?*) ad tritum inter  
 Judæos proverbium, cujus etiam vestigia *Job. II, 4.* legun-  
 tur, respexit, ubi Satanus ad Deum dicit: כל אשר לאיש יתן  
 בעד נפשו omne quod homo habet, dabit pro anima sua: Cui  
 simile illud Græcorum: ψυχῆς γὰρ ἂν ἐστὶ τιμιώτερον: aut, quod  
*Quinti Smirnei* est: ἂν γὰρ ψυχῆς πέλει ἀνδράσι φίλτερον ἄλλο. Vid.  
*Grotius ad h. l.* Videlicet Christus à minori ad majus colligere vide-



videtur; si vitæ redimendæ homo mortis agoni proximus omnia lubentissime impenderet, neque tamen voti sui compos fieri potest; quanto minus quicquam ad animæ jacturam reparandam sufficiet; quippe quæ multis modis vita corporali variis miseriis circumfusa præstat. Cæterum Christi assertio quærendi modo proposita, emphasi haut caret. Nam quærendo animis hominum altius sententiam hanc infigere vult, ut accurate observetur: Nempe commodum, quod ex possessione totius mundi & fruitione bonorum omnium, si cui ea obtingant, (quod tamen nunquam fiet) percipitur; si cum damno conferatur, quod quis patitur tum, cum spe vitæ æternæ, qua potiri poterat, prorsus excidit, & æternæ mortis mancipium fit, nullum esse. Conf. *Glassii Philol. S. Tr. II, c. 5.*

§. 6. Ut clarius ergo assertionis Christi scopus pateat, juvat eum ex antecedentibus, servata connexionis verborum serie, prius eruere. Ediderat nempe Petrus *v. 16.* fidei suæ de Christi persona ac officio confessionem; ac ideo ab Ipso *v. 17. beatus* prædicatus fuerat, additâ *v. 18.* promissione; super hanc de Christo editam à Petro confessionem, ceu petram & fundamentum fidei, ædificandam esse ecclesiam, nullis Satanæ machinationibus superandam; cui tandem additur *v. 19.* potestas clavium regni cœlorum, h. e. potestas ministerii Evangelici, quo regnum cœlorum credentibus referatur, incredulis vero & contumacibus occluditur: (quæ tamen non solius Petri fuit, sed communis cæteris apostolis, quorum nomine simul Petrus ad quæstionem Christi respondit, ut infra *ex c. XVIII, 18.* patet) Inde *versu seq. 20.* Salvator prohibet, ne cuiusvis indistinctim propalent, quod ipse sit Filius Dei altissimi, additâ *v. 21.* ratione; quia in profundissimo statu exinanitionis jamjam constitutus erat; proxime enim futurum esse, ut proceres Hierosolymitani se ipsum in mortem traderent, quâ superata, tertia die resur-  
rectu.



recturus sit, ut toti orbi innotesceret, se esse Θεάνθρωπον ac promissum mundo Messiam. Petrus autem opinatus, passionem & mortem Christi, cum jam edita sua confessione minime convenire; ideo cœpit eum v. 22. objurgare, & monere, ut mortem nimirum crucis effugeret. At Christus vicissim illum increpat v. 23. quod carnali affectu abreptus, consilium Dei de salute hominum procuranda intervertere auderet. Quia vero dubio procul ceteros ejus discipulos admiratio subiit; quod Christus Petrum paulo durius reprehendere visus esset; cum amor naturâ hominî insitus requiratur, ut quisque & vitæ suæ & aliorum quovis modo parcat: igitur Salvator sanctissimus orditur explicare, quantum affectibus & naturæ desideriis ab iis indulgeri debeat, qui sequi Ipsum atque regnum suum intrare velint. *Versu enim 24. ait, quod, qui pone se venire velit, abnegare semet ipsum debeat, ac tollere crucem suam, i. e. suppressis carnis desideriis, licet rationi sibi relictæ atque carnî videantur jucunda, soli voluntati ac beneplacito divino sese consecrare ac permittere, omniaque adversa placido & æquo animo perferre: Hos enim demum idoneos suos discipulos fore, qui, ipsâ vitâ spretâ, sua vestigia legant atque premant: cujus præcepti ratio v. 25. redditur: Fieri quippe non posse, ut aliter homo salutem æternam consequatur. Cum, si quis animam suam, carnis suæ cupiditatibus indulgendo, servare velit, is eam certo sit perditurus; contra vero quod, qui in via hac abnegationis sui animam perdere videatur, ille demum eandem redditurus sit beatam: quoniam sic per fidem & imitationem Christi in fide, Deo jungeretur, animæque requiem invenire possit, 2. Pet. I, 4. Eph. V, 25. 30. cum alioqui omnes res in hoc mundo exsatiare aut eandem beatam efficere nequeant; quia ipsæ cum mundo periturae sint.*

§. 7. Ac ne quis forte excipiat: Mundum abundare tot ac tantis bonis atque deliciis, quibus frui hominî præci-



pue à Deo datum sit; cur ergo illa in medio posita non amplecti potius, ac iis frui, quam horum usu & voluptate abstinere debeamus? Si vel maxime damnum aliquod inde animæ nasciturum sit; id tamen non fore irreparabile, sed media forte superesse, quibus id resarciri queat. Ad utrumque respondet Christus v. 26. Nullam certe solidam ac veram & constantem utilitatem aut salutem ex omnibus hujus mundi bonis, quæ omnia caduca vanaq; sunt, ac animæ noxia, capi posse: quia hæc est spiritus immortalis, qui non nisi possessione & fruitione bonorum spiritualium ac cœlestium felix redditur; ista autem esse transitoria ac vana, immo sæpissime noxia, quæ animam magis in se redeuntem turbant, quam tranquillam ac beatam reddere valeant. Nec superesse remedium animæ semel perditæ, cum totus mundus, quancumque pretii esse videatur, eidem redimendæ non sufficiat. Inde v. 27. hæc Christi assertio etiam argumento, ab extremo judicio desumpto, concluditur; quod, ne in dubium vocetur, Christus, qui veritas est, prædicit; se in gloria Patris sui cum sanctis Angelis certò venturum ad iudicium, ac unicuique secundum opera suæ redditurum esse. Quasi diceret, id suo tempore clare adparebit, etsi jam vobis non ita liqueat; uti ex sequenti versu 27. patet, qui tum optime huic cohæret nostro.

§. 8. Ex hac connexionione verborum Christi patet, scopum sermonis hujus non alium esse, quam, *CURAM ANIMÆ anteponendam esse vitæ & omnium bonorum hujus seculi, quancumque etiam pretii esse videantur; cum nihil eorum tam pretiosum sit in toto mundo, quod ei comparari queat; quin imo, omnia omnino totius mundi bona non sufficere vel unice animæ redimendæ. ANIMÆ itaque CURAM, ut ei æternum bene sit, maxime necessariam esse, Christus, Magister noster Optimus Maximus, hoc in loco docere & omnibus inculcare voluit, ut id diu noctuque meditaremur. Inqui-*  
*rendum*



rendum proinde venit, quo id modo fieri debeat? Id Christus insinuare videtur *versu antecedente 42. Si quis vult post me venire, abneget se ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me:* Unde patet, fide in Christum præsupposita, consistere illud in *abnegatione sui, crucis Christi receptione & Ejusdem sequela, seu parato obsequio.* Connexa enim hæc sunt in Christiano, ut, qui se vere abnegat, is etiam tollat *crucem suam*, Christique vitam imitari studeat. Quod antequam demonstratur, de *CURA ANIMÆ* à Christo mandata paulo altius differere ordiar, respectu habito ad duo proxime antecedentia commata textus nostri.

§. 9. Hominem nimirum in se descendere & semet noscere ante oportet, quàm *curam animæ suæ* recte gerere queat: id vero ipsum beneficio & operatione animæ fieri potest ac debet; cum illa ab Optimo Creatore cognoscendi facultate ideo prædita sit, ut Deum & semetipsam præcipue cognoscat. Inde etiam veterum Philosophorum inter Græcos præceptum non contemnendum est: *Γνωθι σεαυτόν, nosce te ipsum.* Nam multi inter mortales ita incurii aut vecordes sunt, ut tum bona sua à Deo collata nesciant, tum defectus suos & mala ignorent ipsi. Quæ ignorantia à labe primi peccati orta, animæ curam debitam impedit, ac multorum in vita errorum causa est.

§. 10. Opus ergo est lumine, quò mens nostra cæcuiens collustrata semet ipsam cognoscere possit. Hoc ex S. Scriptura petendum est, quæ animam non tantum originis divinæ esse tradit; cum Deus corporis fabricæ eam inspirando primum indiderit, *Gen. II, 7. Eccl. XII, 7.* sed etiam divina imagine, quæ in sapientia & justitia consistebat, exornatam fuisse docet, *Gen. I, 26.* quâ, per transgressionem legis divinæ amissâ, miseram illa faciem induit, ac inde à Deo averfa, mala sibi cumulavit plurima, *Genes. VI, 5.* quæ tamen effugere potuisset, si libero arbitrio suo, quo ante lapsum  
gau-



gaudebat, recte uti voluisset. Hac de causa illud divinum monitum, *Apoc. II, 5.* ad omnes nunc mortales spectat: *Memor esto itaque, unde excideris, & resipisce.*

§. 11. Ideo homini quotidie de miseria animæ suæ propria culpa attracta cogitandum, & ut amissa ejus felicitas reparanda sit, devote meditandum est. Deus enim illam imagine sua coruscantem primum condidit, ut benignissimum Conditozem suum agnosceret, amaret, coleret ac prædicaret, posteaque in cœlis perpetuo & ineffabili gaudio perfrueretur. Verum hac felicitate se excidisse proh dolor! homo novit ac sentit, nosse certe, ac cum Paulo de infelicitate hac conqueri debet, *Rom. VII, 18. 19-24.*

§. 12. Remedia hinc tollendæ hujus miseriæ idonea circumspicienda sunt, quæ Deus in S. Scriptura manifestata ostendit & ipse suppeditat. Ea sunt verbum suum, *1. Pet. I, 23.* & sacramenta, in primis, quod Novum Testamentum attinet, Baptismus, *1. Pet. III, 21.* Per hæc enim homo regeneratur, & fidem consequitur, ut nova fiat creatura, *Ezech. XXXVI, 26.* quæ Deum amat atque præcepta Ejus servet, *1. Job. V, 2.* mundumque, & quæ in eo sunt mala, contemnat, *Coloss. III, 1. 2.* inde augmenta gratiæ desideret, *1. Pet. II, 2.* atque sanctimoniæ studeat, *2. Cor. VII, 1.* Per regenerationem quippe anima hominis potissimum novis donatur dotibus, fide, puta, spe & caritate. Per fidem enim intellectus, Dei & Salvatoris nostri salutari cognitione illuminatur, *Eph. I, 17. 18.* *2. Cor. IV, 6.* spe fidei juncta corroboratur; Voluntas autem sanctificatur, atque ad Deum amandum ac colendum flectitur, pio desiderio erga ipsum excitato, *Philipp. II, 13.* ut eum pro summo bono unice habeat, ac constanter amet, eique per Christum uniri cupiat. Mentis illud lumen devota lectione & meditatione S. Sripturæ subinde augetur, depulsis tenebris in quibus antea hæsit immersa, *Eph. V, 8.* Quid ergo voluntas hominis renati magis, quam sincere Deum colere,

lere,



lere, ejusque voluntatem facere concupiscat? Nam fides vera & viva, per caritatem Dei & proximi *ἐνεργουμένη, operans*, nunquam otiosa esse potest, *Galat. V, 6.*

§. 13. Atque inde anima hominis, divina gratia adspirante, indies renovari magis occipit, *novumque hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis, Eph. IV, 23. 24. Coloss. III, 10.* induere studet. Tametsi vero illa ad pristinam perfectionem, qua in statu integritatis gavisa est, in mundo adspirare nequeat; eniti tamen, quantum licet per vires gratiæ in regeneratione concessas, oportet hominem, *2. Pet. I, 5.* nisi animam in periculum con- jicere æternum velit. Id quod hominis malefani & vecordis esset.

§. 14. Absit proinde illud ab eo, qui Christi nomen profitetur, *2. Tim. II, 19. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? Rom. VI, 2.* Ubi Apostolus stolidam & noxiam valde persuasionem multorum hominum redarguit, qui ex superabundanti gratia, quam Apostolus *Rom. V, 20.* prædicat, *ἀλόγως* colligunt: Si, *ubi redundavit peccatum, superabundavit gratia*; ergo licebit permanere in peccato usque ad ultimum vitæ halitum, ut gratia divina sic auctior fiat. Hunc, inquam, paralogismum Epicureum, gravissimis argumentis adductis citato capite ipse confutavit Apostolus. Christus enim nos ab æterna morte liberavit, non, ut confisi tantum ejus satisfactione & gratia per baptismum obtenta, quod reliquum in hoc mundo vitæ est, in peccatis transigamus, ac in morte demum de salute animæ cogitemus; sed *ut ipsi, impetrata gratia, serviamus in sanctitate & justitia coram ipso cunctis diebus vite nostræ, Luc. I, 74. 75.* Absit, inquam, ut hac ratione fingamus, Christum veluti peccati ministrum esse, qui nos à peccato ejusque pœna liberarit; ut sic usque ad ultimum vitæ terminum impune peccare queamus, *Galat. I, 17.* Gratiâ enim Dei ho-

B

mo



mo regeneritus, nisi vigilet, iterum & totaliter & finaliter ex-  
cidere potest, *Ezech. XVIII, 24. Ebr. VI, 4. 6. XII, 17.* unde certe  
animæ maximum periculum imminet, aut eam manet, *2. Pet. I, 20. 21.*

§. 15. Præmissa hac status animæ ante lapsum &  
post lapsum contemplatione, quæ ad salutarem ejus cu-  
ram maxime spectat; ulterius videndum est, quæ cura  
homini incumbat circa *animam*, postquam per regeneratio-  
nem in feliciorum statum translata est, *1. Job. III, 1. 2. sqq. Re-  
novatione* nempe quotidiana opus est. Hæc requirit *abne-  
gationem sui, receptionem crucis suæ, & imitationem Christi.*  
Ita enim verba Salvatoris nostri antecedentia *Matth. XVI, 24.*  
habent: *Siquis vult pone me venire, abneget semetipsum, &  
tollat crucem suam, & sequatur me.* Id quod sine gratia Divi-  
na assistente atque cooperante fieri nequit; cum radix pec-  
cati, quæ prava concupiscentia est, nondum animo evulsa  
penitusque extincta sit, *Ebr. XII, 1.*

§. 16. *Tria* hic abs homine renato Salvator noster po-  
stulat, siquidem veri Christiani nomen tueri, atque animæ  
suæ salutem serio quærere velit. *PRIMUM* est, *sui abne-  
gatio*, quæ absque præcedanea intimiori sui cognitione fieri  
nequit. Quis enim abneget, quod suum esse, ante ignoravit?  
Emphasin *Theophylactus in b. l.* in voce composita *ἀπαρνήσασθαι*  
*Θαι* observat, quod plus, quam *ἀρνήσασθαι* notet; nempe *τὴν  
τελείαν ἀρνήσιν*, *perfectam abnegationem*, ut nullam habeat  
communione cum corpore, si scilicet animæ periculum  
subsistat. Opus proinde est, ut homo in sese descendat, atque  
animæ suæ facultates, statumque ejus præsentem ac futurum  
exploret. Quo facto, etsi jam renatus sit; deprehendet ta-  
men in omnibus animæ suæ facultatibus morbos exitiales,  
aut certe eorum mala semina latere, *Rom. VII, 18.* In *intelle-  
ctu* enim & *memoria* sæpe exsurgunt aut incidunt homini  
*impia, profana aut foetida atque inanes cogitationes, quæ*  
ad



ad peccandum iterum ansam præbent. Has *abnegare*, h. e. illis non immorari, sed alias sanctas, quas verbum Dei sup-  
peditat, concipere atque fovere oportet, *Pf. CXIX, 55*. Item,  
si ratio nostra contra fidem luctatur, & illa sub obsequium fi-  
dei redigenda est, *2. Cor. X, 15*. *Voluntas*, quæ altera animæ fa-  
cultas est, Dei voluntati subinde obniti solet; ut licet intel-  
lectus illi meliora eligenda suggerat, ista tamen deteriora se-  
quatur, *Rom. VII, 19*. non attendendo, inde animæ exitiū ori-  
ri. Quæ de causa, ut prava voluntatis inclinatio & concupi-  
scentia subigatur, ne in peccata proæretica erumpat, abnega-  
tio propriæ voluntatis hac in parte necessaria est: ut non no-  
stra, sed Dei voluntas, quæ semper sanctissima nobisque sa-  
lutaris est, in terris fiat. *Matth. VI, 20*. Lucta inde carnis & Spi-  
ritus oritur, *Galat. V, 16. 17*.

§. 17. Si *appetitum* porro *sensitivum* cum ipsis sensibus  
externis, qui ideas animæ subministrant varias, atque sæpe  
impuras & noxias, attendimus; abnegatione sui itidem opus  
est. Nempe, ut avertamus *oculos*, ne videant vanitatem & res  
obscœnas cum desiderio; *ures*, ne audiant impia vel ob-  
scœna carmina cum voluptate; *linguam & gulam*, ne in cibo  
& potu delicato nimiam quærant voluptatem, qua cor ag-  
gravatur, contra Christi præceptum *Luc. XXI, 34*. unde ori-  
tur *ἀσωτία* *Ephes. V, 18*. corpus enim mero æstuans despumat in  
libidinem.

§. 18. In inferioribus animæ facultatibus, ubi *animi*  
*passiones & adfectus* locum præcipue inveniunt, sui abnega-  
tione, ut qui maxime opus est. Nam *adfectus* animum non  
tantum subito commovere, sed & nostram mentem obnu-  
bilare solent, ut verum bonum ab adparente discerni ne-  
queat. Inde voluntas, per se cœca animæ facultas com-  
mota, in peccatum ruit. Quapropter quemque suas ani-  
mi inclinationes & passiones prædominantes in primis scru-  
tari oportet; ne cœco illarum impetu abreptus, grave forte



committat peccatum, eoque animæ exitium sibi accersat æternum.

§. 19. Inter illos animi *affectus* hominem imprimis ad peccandum irritare solent, *Φιλαντία*, seu *amor proprius*, *invidia*, *ira*, *cupiditas habendi* & *cupiditas voluptatis*, quæ *gustu* & *tactu* percipitur. Ex horum enim neglecta moderatione, coërcitione & abnegatione, carnis opera, quorum finis mors æterna est, proveniunt, *Galat. V, 19. 20. 21.* *Φιλαντία* quidem homini ex primo peccato innata est, ac ita pertinaciter animo inhæret, ut ultimo exuatur. Verum quo pertinacior illa animi passio, eo majori studio subigenda venit Christiano. Equidem homo seipsum amare tenetur, sed eo ordine, quem Deus in lege sua designavit, ut dilectio sui sit *ordinata*. Verum toties amor sui excedit modum, dum quis alterum nec sibi æqualem esse vult, nec æquali juris communis fruitione dignum censet; sed ante cæteros honorem & juris prærogativam sibi arrogat, ac nulla justa de causa se aliis præfert eosdemque despicit, aut contemptum adversus alios ostendit factis, verbis, vultu, risu aut quacunque contumelia. Quod *superbia* malum eo deterius est habendum, quo asperius aliorum animi in iras, rixas ac ulciscendi libidinem inde concitantur, *1. Timoth. VI, 4.*

§. 20. Si in causas hujus *affectus* inquiratur, deprehendere licebit, eum provenire ex nimia sui & bonorū tum interiorū tum exteriorum, quæ quis possidet, aut habere se opinatur, æstimatione. *Illa (interna)* sunt, *felix ingenium*, *excellens memoria*, & quod his majus adhuc bonum est, *judicium*, cum doctrina & eruditione, studio comparata. Hæc bona, sive naturalia, sive studio & labore parta hominem quidem ornant, sed inflare non debent, *1. Cor. VIII, 1.* & *1. Tim. III, 6.* ut his de causis alios præ se contemnat. Hoc enim charitati & humilitati à Christo tantopere commendatæ repugnat. Vid. *Rom. XII, 3. sqq.* & *1. Cor. XII, 6.* Si quis enim  
doti-



dotibus animi maxime excellit; bona tamen hæc Dei esse munera cogitet, simulque expendat animo infirmitatem naturæ suæ & errores quos deinceps committere possit; qui non minores iis erunt, ob quos alios forte contemnit. Verū enim & notatu dignum est illud *B. Hieronymi ad Vigilantium: Nam parum est scire, quid nescias.* Nescies autem forte pietatem quæ illis animi bonis longe præferenda est, cum hujus & futuræ vitæ promissionem habeat, *1. Tim. IV, 8.* Nam utcunq; pulchrum sit, audire doctum; pulchrius tamen est, haberi prudentem, pulcherrimum autem, esse piū.

§. 21. *Externa* bona, quæ *Φιλύτης* inflammant, sunt sanitas, robur, pulchritudo; item, stemma nobile, honor, dignitas, & opes seu divitiæ. At illa omnia nec in hominis potestate esse, nec constantia, ipsi Philosophi multis argumentis declararunt. *Ecclesiastes* autem, divinus Scriptor, eorum vanitatem & inconstantiam peculiari libro demonstravit, quem attente legisse plurimum juvabit ad contemptum mundi, quò cura animæ sollicitius geratur. Præsertim cum ipse Christus in nostro citato loco, totum mundum curæ animæ salutari postponat, & Paulus etiam ista bona, in contemplatione salutis animæ inter *τὰ σκύβαλα* referat, *Philipp. III, 8.* quæ animæ renatæ sordent.

§. 22. *Φιλαντία* ergo illam inordinatam, ex qua tot alia mala subnascuntur, animo exuere imprimis studeamus; ne animæ irreparabile damnum inde nascatur. Dignum hic observatu *Lactantii* monitum, *Inst. Div. L. III. c. 22.* *Qui vult homines adæquare, ait, non matrimonium, non opes subtrahere debet, sed arrogantiam, superbiam, tumorem, ut illi potentes & elati pares esse se etiam mendicissimis sciant.* Nam, ut *Petrus Blesensis Serm. in Advent. Domini* loquitur: *Antiquus ille cerastes duobus maxime cornibus impugnat nos, elatione animi & immunditia carnis.* Vid. *1. Job. II, 16.*

§. 23. Porro *invidia*, per se malus affectus, ex tristitia



& odio mixtus, animæ noxius est. Quia invidus amore proximi caret: ideo dolet, alteri contingere bona, quem iis indignum arbitratur, aut ipsemet habere cupit. Inde Poëta:

*Invidiâ Siculi non invenère tyranni*

*Tormentum majus.*

Nam animum invidi excruciat, & odium erga proximum concitat; ut, ubi possit, eidem nocere, si non alio modo, detractioe tamen famæ studeat. Paulus autem *Gal. V, 26.* monet, ut invidiâ abstinamus, cum invidi etiam regni Dei hæredes esse nequeant, *v. 21. præcedente.* Vid. *1. Job. III, 15.*

§. 24. *Ira* vehemens, menti humanæ inimicus affectus, quæ sæpe efficit pœnitenda, *Jac. I, 20.* Nam mentem occæcat & præcipitat sæpius ad atrociam facinora patranda; præsertim cum vindictæ libido eidem conjuncta sit. Ideo ira vel maxime cohibenda est, quod gentiles etiam multis argumentis suadent: *Ne fræna animo permitte calenti: Da spatium tenuemque moram: Male cuncta ministrat impetus.* Multa salutaria hic præcepta *Seneca & Lactantius de Ira* suppeditant. Sed Pauli monitum brevius divinumque est *Eph. IV, 26. 31. Irascimini, & ne peccate: Sol ne occidat super iracundiam vestram.* Nam & iracundia carnis opus est, quo propter animæ periculum, abstinendum est, *Gal. V, 15. Coloss. III, 8.* cum illa facile in odium degeneret lethiferum, *1. Job. III, 15.*

§. 25. *Cupiditas habendi seu avaritia*, sive tenax illa sit, sive rapax, non tantum cum diffidentia in Deum conjuncta est, sed multorum præterea malorum radix atque causa est, *1. Timoth. VI, 10.* quorum exempla *1. Sam. VIII, 3. Ezech. XXII, 27.* extant. Quare opum hanc cupiditatem ob periculum animæ suppressendam Christus *Luc. XII, 15.* & Paulus *Eph. V, 3. 1. Timoth. VI, 17.* docent: quia avari regno Dei excludentur, *1. Cor. V, 10. 11. c. VI. 10. Ephes. V, 5.*

§. 26. *Corporis voluptas, quæ gustu & tactu percipitur,*  
gen-



gentilibus moratis etiam foeda habita, Christianis multo magis vitanda est, non tantum quod pecorum sit bonum; sed quod animæ exitium acceleret. Idcirco temperantia cum castitate & pudicitia in divinis literis tantopere commendatur, minis additis gravissimis, *Luc. XXI, 34. 1. Cor. VI, 13. 18. c. X, 8. Ephes. V, 3. Coloss. III, 5. 1. Thess. IV, 3.* Apostoli proinde monitum *1. Job. II, 15. 16.* subinde nobis in memoriam revocare & observare oportet, *Ne diligite mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, - - Quoniam quicquid est in mundo, cupiditas carnis, & libido oculorum & fastus vitæ, non est à Patre, sed ex mundo est.* Itaque jubemur odisse, *Judæ 23.* maculatam tunicam carnis, abstinere à desideriis. *2. Pet. II, 20.*

§. 27. At vero, cum nominati jam affectus corruptæ hominis naturæ insiti sint, ac abnegare illos aut omnes exuere penitus, impossibile sit; opus est *remediis* illis vel restringendis vel moderandis, quæ Christianis ex *luctu* carnis cum spiritu ab Apostolo Paulo *Galat. V.* descripta, nota esse debent. *Primum* est Baptismus, *Rom. VI, 3. 4. sqq.* in quo, juxta formulam veterum Christianorum, *abrenunciavimus Diabolo & ejus operibus*, quæ sunt carnis. Vid. *Ambros. de Sacrament. l. 1. c. 2. Tom. IV. opp.* *Secundum* gratia Dei, quam Apostolus *Rom. IV, 14. 15.* commendat. *Tertium* Spiritus renatis datus, *Galat. V, 18. 22. 25.* *Quartum*, lectio & attenta meditatio frequens S. Scripturæ, *Pf. CXIX, 9. 24. 105.* *Sextum* fuga conversationis cum improbis, *Pf. CXIX, 63. 101.* quia illa bonos mores corrumpit, *1. Cor. XV, 33. 1. Timoth. VI, 5. 2. Tim. III, 5.* Davidis exemplum; qui improborum commercium familiare averfatur, hic imitandum est, *Pf. I, & CI, 3. 4. 5. 6. 7.* Confer. Venerandi Theologi, *D. Speneri Evangel. Lebenspflichten / Part. II. p. 362. sqq.*

§. 28. Sed ad *ALTERUM* requisitum Christiani *curam animæ suæ* gerentis pergendum est; quod est, *crucis suæ*



*in humeros susceptio*, ut pergat aut currat potius ad metam, *1. Cor. IX, 25. sequ.* Christum secutus præeuntem, *Ebr. XII, 2.* *Crucis* enim nomine in N. T. notum est, afflictionum pro Christi nomine genus omne significari; ut ipsa etiam mors purpurea, quæ martyrum est, non excludatur, *Matth. X, 38. 39.* Crucem enim atrocissimum & plenissimum ignominia supplicium apud Romanos olim fuisse, constat. Inde vox illa ad omnia hujus vitæ incommodorum & afflictionum genera transferri consuevit. Christus hic ita vocem *crucis* generalem usurpavit; ut tamen ad propriam quoque notionem digitum intenderet; significans, ne illud quidem infame & atrox supplicium defugiendum esse; modo anima servetur & salvetur. Quod autem hic dicitur *αἰρεῖν τὸν σταυρὸν*, *Marc. X, 38.* est *λαμβάνειν τὸν σταυρὸν*, apud *Lucam* autem *cap. XIV, 27.* habetur, *βασάζειν τὸν σταυρὸν*, quæ loca si conferantur cum passionis Christi historia, in qua itidem est, vox *αἰρεῖν*, *Matth. XXVII, 32.* & *Marc. XV, 21.* & τὸ *βασάζειν*, *Job. XIX, 17.* aperte satis constabit, hæc loquendi genera morem illum respicere, quo τῷ σώματι τῶν κολαζομένων ἕκαστος ἐξέφερε τὸν ἑαυτοῦ σταυρὸν, ut *Plutarchus* loquitur. Nam eodem sensu suscipere aut tollere onus, pericula, labores, dolorem, dixit *Cicero*. Ebræi onus in humeros tollere, נשׂוּ dicunt, quod Hellenistæ vertunt modo *φέρειν*, ut *Esaia LIII, 4.* modo *ἀναλαμβάνειν*, ut eundem *Esaia* locum supra vertit *Matth. c. VIII, 17.* modo *λαμβάνειν*, ut *Levit. XVII, 16.* v. *Grotii Annot. ad c. X. 38. Matth. Conf. Chrysostomi Homil. LV. in Matth. f. 493.*

§. 29. Nimirum Christus vult, ut, qui sibi nomen in Baptismo dederunt, nullum vitæ incommodum aut afflictionem, quippe quæ ipsis non sine Patris cœlestis voluntate accidit, defugiant, aut ferre, morose recusent. Quia hac in parte discipulos oportet magistro & Domino suo similes fieri, *Rom. VIII, 17.* 2. *Timoth. III, 12.* & patientiam, quæ experientiam & spem operatur, exercere *Rom. V, 3. 4.* decet; ut  
 illâ



illâ roboratâ, omnes afflictiones, quas Apostolus *Rom. VIII, 35. 36. 37.* commemorat, læti superare possint, *Ebr. X, 34. 35. 36.* Præsertim cum afflictiones hujus vitæ leves ac transitoria sint, quas excellentis gloriæ pondus sequitur, quod æternum manet in cœlo, *2. Cor. IV, 17. 18.* Exempla generosæ & heroicæ patientiæ in omni afflictionum genere, Paulus nobis ad imitandum sistit *Ebr. XI, 36. 37. 38.* quæ, multis interspersis monitis, sequenti *cap. XII.* commendantur.

§. 30. Ceterum τὸ ἀρῆναι τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, *tollere crucem suam,* phrasis est, quæ emphasi haut caret. Nam pronomine αὐτοῦ innuitur, non, quod Christianus sibimet ipsi crucem fabricare aut accersere temere debeat; sed expectare teneatur, quam Deus ipsi pro sapientia ac bonitate immissurus sit. Pater enim Cœlestis optime novit, cui ferendo oneri quisque par sit. Igitur non gravius imponit onus aut crucem, quam quis sufferre possit, *1. Cor. X, 13.* Et, *si onus grave est nobis, Deus est salus nostra, Psal. LXVIII, 20. Ps. L, 15.* ita, ut pii in tribulationibus suis gloriari queant, *Rom. V, 3.* quod improbis paradoxon videtur. Hanc animi alacritatem indicat verbum ἀρῆναι, *tollere,* quod est animo haut illubenti cruci succollare, nec humeros impatienter subtrahere, aut illam recusare. Quia fideles credunt, quod hujus temporis passiones non sint condigna ad futuram gloriam, quæ in ipsis revelabitur, *Rom. VIII, 18.* Nam si male nunc, non & olim sic erit.

§. 31. TERTIUM inde requisitum est, ἀκολουθεῖν αὐτῷ, Christum sequi. Supra *Matth. X, 38.* dixerat, ἀκολουθεῖν ὀπίσω μου, quod est, *post me sequi,* vel ut Beza vertit, *pone me.* Hæc particula non videtur frustra addita; cum illi Christum soli recte sequantur, qui ipsum præeuntem in doctrina & vita sequuntur, h. e. non à se excogitato cultu, sed ab ipso præscripto colunt; ac adeo Magistri sui placita observant & vestigia premunt. Qui hoc omittunt, illi præire, non sequi Magistrum volunt. Christiani enim ad hoc vocati sunt, ut ὑπογραμμὸν, *exemplar,* quod reliquit ipsis, intueantur, & vestigia ipsius subsequantur, *1. Pet. II, 21.* Discipulos autem non præire Magistrum, (ut cœperat Petrus, Christo mortem dissuadens) sed sequi illum decet. Is autem se ipsum salutis nostræ causa abnegavit, ac humilitatis, obedientiæ & patientiæ incomparabile exemplum præbuit, ut Paulus *Philipp. II, 6. 7. 8.* nos docet. Inde non male *Theophylactus in b. l. fol. 95.* annotat: Ὀπίσω δὲ ἀκολουθεῖν Ἰησοῦ, οὐχ ὁ ὁμολογῶν αὐτὸν μόνον υἱὸν θεοῦ, ἀλλ' ὁ καὶ διὰ πάντων τῶν δεινῶν ἐρχόμενος, καὶ αὐτὰ ὑφιστάμενος. Clarius *Chrysostomus,* quem *Theophylactus* ut plurimum sequi amat, *Homil. LV. in Matth. fol. 493.*



*Is enim Christum sequitur, qui non in periculis modo fortitudinem, sed modestiam, sed humilitatem, & omne sublimioris philosophiæ genus demonstrat. Id enim est recte Dominium sequi, & ut oportet, si propter ipsum omnia patriaris. - Multi Diabolum sequentes, multa patiuntur, & vitam propter ipsum perdunt, quam nos propter Christum, imo vero propter nos ipsos perdamus. Ipse quippe hodiegeta & dux viæ noster est optimus, Job. VIII, 12. XVI, 6. Hanc viam qui ingreditur, nec meta aberrare, nec animam suam perdere potest. Est namq; etiam alia via, eaq; spaciofa, quæ ad perditionem ducit, & multi sunt, qui in illa ambulant, Mat. VII, 13. Ne ergo in illam deflectamus, & in devia nos à mundo rapi sinamus, Christum in fide constanter sequamur ducem, ipsumque rogemus: *Vias Tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me, Ps. XXV, 4.* Vestigia hujus viæ salutaris Apostolus paucis Tit. II, 12. signavit, quibus insistendum est, ut animam servemus. Respicit huc etiam S. Maximi Confessoris tom. I. in λόγῳ ἀσκητικῷ fol. 368. Responsio juveni quærenti data: *Nemo eorum, qui terrenis seculi rebus addicti animo sunt, dominum imitari potest; sed ii, quibus liberum est dicere: Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.**

§. 33. Gravissima ratio hujus præcepti v. seq. 25. à Christo additur: *Quisquis enim voluerit animam suam servare, perdet eam: Quisquis autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Nempe salus animæ ex fide est, quæ Christum amplectitur: Hæc nunquam est otiosa Galat. V, 6. adeoque efficit, ut quis, semet abnegando, Christum per adversa patienter sequatur, eique constanter adhærescat; etsi vitam temporalem (quæ aliàs brevis & caduca est) ob salutarem animæ suæ curam perdat. Sensus enim verborum Christi huc redit: Si quis sibi videtur, per Christi abnegationem, animam suam aut vitam mortis temporalis periculis eripuisse, eamque sic ad tempus servasse; eam tamen post mortem perdet, & obnoxiam æterno exitio reddet. Qui autem in hoc mundo propter Christi Domini sui confessionem & constantem fidem Rom. X, 9. 10. sese abnegarit, ac omnes inde ingruentes afflictiones, ipsamque mortem ejus causa patienter sustinuerit; is eam inveniet, h. e. post mortem recipiet lætum; quia in manu Dei asservatur & custoditur, unde nemo eam rapere potest. Atque sic, dum animam suam aut seipsum profano homini perdidisse Christianus verus visus fuerit, custodiet eam in vitam meliorem, h. e. æternam. Id quod martyres suo exemplo millies læti confirmarunt, quando omnibus mundi commodis & bonis, ipsaque vita posthabitis, mortem truculentissimam subi-

subi-




subierunt, spe certa melioris vitæ, sua damna levantes. *H. Grotius in Annot. ad Matth. X, 39.* τὴν ψυχὴν synecdochice, pro ipso homine accipit, cum, quod h. l. ψυχὴν ἑαυτοῦ *Matthæus, Lucas c. IX, 24.* dixit ἑαυτὸν. Sed sensui, quem evolvimus, nihil derogatur. Nam qui animam suam recipit post mortem, seipsum etiam inveniet, ac lucrifecerit, ut qui sibi alioquin morituro æternam vitam paraverit, sicut *Lucas ipse c. XVII, 33.* exponit.

§. 34. Christus igitur, modo curandi animam sic demonstrato, in sequenti commate, damnum animæ irreparabile esse docet, si cura salutis ejus in tempore hujus vitæ negligatur. Bene hoc *Chrysostomus Homil. LV. cit.* dilucidat: *Vides, inquit, salutem hanc, (ὡς τὸ θεῖον) indecenter comparatam perditionem esse, imo perditione omni pejorem; quia nullo remedio sanari, nullo premio amplius redimi potest. Non dicas, animam suam eum servasse, qui hæc pericula evasit. Nam si orbem quoque terrarum lucratus fuerit, quid hinc, illâ perditâ, lucrabitur? Dic queso, quid lucraberis, si diu servos tuos magnificis dapibus deliciose vivere videas; tu extremo in edie malo debilitatus jaceas? An forte, quia Dominus es, lucrari te quicquam dices? Nequaquam. Id ergo ipsum ad animam tuam transferas, cum deliciaris in corpore, & magna rerum affluentia ditaris, esuriens animâ, & extremam expectante perditionem. QUID AUTEM DABIT HOMO IN PERMUTATIONEM PRO ANIMA SUA? Immoratur iterum atque iterum in eodem. Num, ait, aliam habes animam quam possis pro anima tua dare? Nam qui pecuniam amisit, aliam pro amissa potest afferre: Similiter, qui ædes, qui servos, qui cætera hujusmodi amisit: Animam vero si perdas, aliam pro ea dare nunquam poteris; Sed si rex orbis atque dominus esses, si omnia, quæ in orbe sunt, & ipsum orbem offeras, non poteris animam unam redimere. - - - Noli igitur de alienis curare, & te ac tua negligere, quod plerique omnes faciunt. His similis es, qui metallorum operi traditi sunt: Nullum enim illi emolumentum, nullas opes inde consequuntur: Sed magno periculo atque detrimento suo aliis laborant, nihil prorsus de sudore ac labore & morte, quam plerumq; obeunt, ad fructum suum inde convertentes. Hoc igitur plurimi nunc imitantur, qui non sibi, sed aliis divitias querunt. Imo vero & his multo miseriorum sumus, quorum mors doloris finem illis; nobis vero, quos gehenna expectat, veræ afflictionis initium affert & c.*

§. 35. Non vacat mihi jam, dum brevis esse laboro, in Theol. mysticæ & asceticæ præcepta digredi, ac, quæ de abnegatione sui & imitatione Christi copiosius traduntur, examinare, quatenus nempe illa divinis literis congruant aut non



congruant. Illa tamen falsa vulgo inter Christianos profano persuasio eximenda  
 est, ac si hoc præceptū Christi servatu omninò impossibile nec adeo necessarium ad  
*curam animæ* salutariter gerendam sit. Quia homo in hoc mundo hominem exu-  
 ere nequeat; si maxime in eremum secedat, aut vitam amplectatur monasti-  
 cam; mundo enim utendum esse, dum in mundo vivatur. Enimvero id Christi re-  
 gulæ de *animæ cura* ab Evangelistis solícite consignatæ manifesto repugnat,  
*Matth. XVI, 24. Marc. VIII, 34. Luc. IX, 23. c. XIV, 26. c. I. Joh. II, 15, 16.* Quod enim ho-  
 mini per *naturam* aut inolitam pravam consuetudinem est impossibile, id per  
*gratiam Dei*, vero Christiano, fit possibile; *1. Joh. V, 3.* Sed contenden-  
 dum est, *Luc. XIII, 24.* & adversus carnem ac diabolum, in robore Spiritus luctan-  
 dum. Media supra §. 12. à Deo ordinata designavimus. Certe novus homo, ex Apo-  
 stoli mandato, induendus est, *Eph. IV, 24.* & indui potest, *1. Pet. II, 1.* Sic Paulus de  
 se testatur, quod id per virtutem à Christo datam præstare valuerit, *Philipp. IV, 13.*  
 Caro tamen ante crucifigenda est, *Gal. V, 24.* ut cum Paulo, *Gal. VI, 14.* dicere quis  
 possit: *Mihi per crucem Christi, mundus crucifixus est, & ego mundo.* Deinde  
 mundo hoc, seu ejus bonis, utendum quidem est; sed non ad peccata & vanitatem,  
 fiducia in eo collocata, abutendum est; *præterit enim schema hujus mundi, 1. Cor.*  
*VII, 31.* hoc Hieropsaltes *Pf. LXXIII, 25, 26.* intellexit, quando cælo & terra  
 posthabitis, in solo Deo delicias est, eumq; pro unico & vere summo bono habuit.  
 Innoxium tamen rerum in hoc mundo usum Paulus citato jam loco *Epist. I. ad Cor.*  
*VII, 29, 30, 31.* docet, & Autor libri de *Spetaculis*, qui Cypriano adscribitur, pag. 416.  
 alium mundi aspectabilis usum indeque nascentem innoxiam animi voluptatem  
 egregie ostendit: *Abocandus, ait, est animus ab istis: Habet Christianus specta-*  
*cula meliora, si velit: Habet veras & profuturas voluptates, si se recollegerit, &*  
*ut omittam illa, quæ nondum contemplari potest; habet istam mundi pulchritu-*  
*dinem, quam videat atque miretur. Solis ortum adspiciat, rursus occasum mutuis*  
*vicibus dies noctesque rebocantem; globum lune, temporum cursus incrementis*  
*suis decrementisque signantem; astrorum micantium choros, & à summo de sum-*  
*ma nobilitate fulgentes; anni totius per vices membra divisa, & dies ipsos cum*  
*noctibus per horarum spatia digestos; & terræ molem libratam cum montibus, &*  
*proflua flumina cum suis fluctibus atque littoribus: interim constantem pariter*  
*summa conspiratione nexibusque concordie extensum aërem medium tenuitate*  
*sua cuncta vegetantem, nunc imbres contractis nubibus profundentem, nunc se-*  
*renitatem reserta raritate rebocantem; & in omnibus istis incolas proprios; in*  
*aëre avem, in aquis pisces, & in terra hominem: Hæc, inquam, & alia opera di-*  
*vina sint Christianis spectacula. - Nunquam humana opera mirabitur, quisquis*  
*se cognoverit, filium Dei. Dejicit se de culmine generositatis suæ, qui aliquid ad-*  
*mirari post Deum potest. Scripturis, inquam, sacris incumbat fidelis; ibi inveniet*  
*condigna Christiano spectacula. Videbit instituentem Deum mundum suum, &*  
*cum cæteris animalibus hominis illam admirabilem fabricam melioremque faci-*  
*entem. Spectabit mundum in delictis suis, justa naufragia, piorum præmia, impio-*  
*rum supplicia; maria populo siccata, & de petra rursus populo maria porrecta. -*  
*Quam hoc decorum spectaculum, fratres; quam jucundum, quam necessarium!*  
*Intueri semper spem suam & oculos aperire ad salutem suam. Hoc est specta-*  
*culum, quod videtur etiam luminibus amissis. Hoc est spectaculum, quod non exhibet*  
*Prætor aut consul, sed qui est solus & ante omnia, & super omnia, imo,*  
*ex quo omnia, Pater Domini nostri J. C. cui laus & honor in*  
*secula seculorum! Amen.*





# INDICULUS RERUM.

§. 1. Naturalis hominis philantia est corrupta. §. 2. Inde fertur magis ad curam corporis, quam animæ. §. 3. Sed animæ cura ex Christi præcepto potior esse debet. §. 4. Verba Christi de eadem *Mat. XVI, 26* proponuntur. §. 5. Illorum expositio Grammatica. §. 6. Declaratio scopi verborum citatorum Christi ex antecedentium connexionem cum h. l. eruitur. §. 7. Ex isto potissimum *cura animæ* adstruitur. §. 8. Hujus necessitas demonstratur, & *modus* curæ animæ exercendæ indicatur. §. 9. Hic præsupponit cognitionem sui & ipsius animæ. §. 10. *Principia* hujus cognitionis. §. 12. Illâ cognitâ, *remedia* animæ curandæ ex S. Scriptura adducuntur & probantur. §. 13. Post illa divinæ gratiæ *remedia* adhibita, animæ *renovatione* opus est. §. 14. Cum qua perseverantia in peccatis usque ad ultimum vitæ terminum consistere nequit. §. 15. Ad *renovationis* inde studium, Christus *Matth. XVI, 24*. tria requirit. §. 19. PRIMUM est, *abnegatio sui*, ratione *intellectus & voluntatis*, quatenus labe peccati originalis adhuc istæ animæ facultates sunt inquinatæ. §. 17. Inde & *abnegatio appetitus sensitivi*, & quomodo ea fieri debeat. §. 18. Item *abnegatio affectuum*, præsertim *dominantium*. §. 19. Inter *hos* imprimis quatuor animæ noxii sunt: Ut *primus* est, corrupta *Philantia*. §. 20. *Philantias* corruptæ *cause* partim ex nimia *internorum* bonorum æstimatione: §. 21. Partim ex bonorum externorum appetitu inordinato. §. 22. *Qui* moderandus & coercendus. §. 23. *Secundus* est *invidia*. §. 24. *Tertius*, *ira vebemens*. §. 25. *Quartus* est, *cupiditas bonorum externorum*; unde *avaritia*, §. 26. *Voluptas* nimia ex *gustu & tactu*. §. 27. *Remedia* restinguendis pravis affectibus idonea ex S. Scriptura indicantur. §. 28. Inde SECUNDUM requisitum curæ animæ in renovationis studio à Christo indicatum; *crucis* nempe *sue susceptio*, quæ explicatur, §. 29. & dilucidatur. §. 30. Phrasis, *tollere crucem suam*, quid proprie significat, ulterius declaratur. §. 31. Tertium requisitum est, *Christum sequi*, quid hoc significet. §. 32. Ratio hujus requisiti circa curam animæ, gravissima ex *versu c. p. cit. 25* adducitur & explicatur. §. 33. Ulterius ex Chrylostomo declaratur. §. 34. Objectio profani vulgi adversus studium renovationis necessariæ designatum; quod *impossibile* nec *necessarium* sit, diluitur, & ex Cypriano illustratur.

ILLU.



ILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO,  
DN. CHRISTOPHORO HENRICO  
à SCHLEINIZ,  
S. R. Maj. Polon. & Electori Sax. à Consiliis Intimis,  
&c.  
PATRONE MAGNO,  
*Salutem & Observantiam!*

**B**Revem hanc Dissertationem Theologicam *Tuo Illustri Nomini* inscribere, Auctori ejus eximio haut suavior fuisset; nisi argumentum illius, PATRONE MAGNE, TIBI vel ideo non ingratum fore existimassem; quod de *Cura Animæ* esset, quam TIBI semper, quum Deum timeas, cordi fuisse, certis indiciis novi. Quæ enim etiam cura animum Christiani magis afficiat, quam animæ, muneris à Deo mortalibus concessi, ne perdat, sed meliori ac æternæ vitæ servetur? Equidem multi sunt de grege porci, qui, illius curâ insuper habitâ, ventri & carni obediunt, ac vitam, ut vetus Poëta loquitur, *præter propter* vivunt. Sed hos animæ suæ statum ac immortalitatem ignorare, aut sibi ipsis infestos suæque iratos esse salutem oportet. A qua pessima mortalium secta TE, PATRONE, maxime abhorrere, multis cognovi indiciis, quia Magistri Optimi Maximi, Salvatoris nostri sanctissimam disciplinam non tantum intelligis; sed sequi, ut eam lucreris, enixe studeas. Ideo plane persuasum habeo, nec argumentum hujus dissertationis, nec Auctoris illius erga Te studium Tibi displicere posse; licet forte illa non eo ingenio ac industria elaborata sit, quam tam arduæ materiæ dignitas merebatur. Cum enim ille, Deo moderante, ad curam animarum gerendam à TE, PATRONE OPTIME, gratiose nuper vocatus sit; officii sui memor, de arte vitæ hujus principe, quæ est *CURA ANIMÆ*, specimen hoc quaecumque prius vel leve edere conveniens sibi duxit, quam curam aliarum animarum in timore Domini in se susciperet, ac curator earum, usitato Germanorum stylo, audiret. Quapropter vel ob studii ac propositi hujus rationem illi porro favebis, ac patrocinio TUO, quod, me interprete, officiose rogat, ipsum dignaberis. Mecum ille Deum orat, ut TE, PATRONE MAGNE, diu sospitet, atque multorum bono servet incolumem! Vale & fave

T. EXCELLENTIÆ

Lipsiæ, d. XXVIII. Jun. A. C.  
MDCCIV.

*omni observantia & precibus dedito;*

D. A. RECHENBERG.

*Coll. diss. A. 2M, misc. 40*